



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

Hæresiarchæ Dissoni Papis in Sæculo XII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35233**

Miraculis cap. 6. *Salisberienfis* libt. 5. capit. 4.

X. *Sanctorum Preces, Inuocationem, suffragia, Imagines, Reliquias* docent *Bernardus* multis term. & in Cant. *Honorius* in speculo eccles. Magister sent. *Rupertus* li. 4. in Zach. 10. & lib. 7. in Cant. *Richardus* super Cantica *Petrus Cluni.* li. contra *Petrobrus. Zonaras, Nicetas, &c.*

XI. *Preces pro defunctis, Purgatoriu* docet *Etherianus* libro de regressu animarum ab inferis. *Petrus Cluniac.* l. 1. de Mirac. & lib. 1. contra *Petrobrus.* cap. 1. 2. *Honorius* in speculo Eccl. Et serm. de Nat. Dom. Magister sent. 4. dist. 20. 21. 25. *Rupertus* li. 2. in Leuit. 42. Et in Gen. 32. *Bernard.* 1er. 66. in Cant. *Guil. Tyrius* lib. 18. c. 32. *Sigebertus* passim.

### Hæresiarchæ Dissoni Papis in Sæculo XII.

*BONGOMILI* in Oriente orti ab *BASILIO* apostata monacho & Medico, qui cum diu sparsisset venenum alibi, demum Constantinopolim irrepfit: Non fefellit *Alexium Comnenum* Imp. doctissimum & doctorum iuxta amantissimum: hic se eius dogmata amplexari simulans ea dilaudabat, donec atheus *Basilius* se totum aperuisset: demum eum in publico combussit an. 1118.

Eius ista fuere Commenta: 1. *Trinitatem in Deo negavit*: 2. *Retecit libros Moysi, solum septem S. Scriptura libros agnouit*: 3. *Deum esse in forma humana*: 4. *Mundum à ma-*

*lis Angelis creatum*: 5. *Imagines execrandas, Crucem ridendam*; quam demones scite timeant: 6. *Baptismum Ecclesia esse Ioannis suum esse Christi*. 7. *Sacrificium incruentum esse contemnendum*: 8. *Eucharistiam esse Oratione Dominicâ*. 9. *Præter hanc orationem ceteras esse vaniloquia*: 10. *Suos concipere & parere Verbum Dei sicut B. V. Maria*: 11. *Nullam esse resurrectionem nisi penitentiam & vitam Euangelicam*.

*TANCHELINVS* irrepfit in Antuerpnam, ann. 1126. incessit demum cum tribus millibus armatorum; ipse in aureis vestibus crinitus, sed intextis auro crinibus. Dogmatizabat, 1. *Episcopale & Sacerdotale ministerium nil esse nisi commentum*. 2. *Eucharistiam nil conferre ad salutem*: 3. *Lotiones eius bibebant scilicet at oves; reliquias eius colebant; beatas se credebant, quæ misceri cum eo valebāt; idque parentes & mariti gaudebant*.

*Sanctus Norbertus* contra eum missus multum iudauit dum eum profligaret.

*PETROBRVSIANI* anno 1126. orti in Arelatenſi terra ab *Petro de Bruis*. Hic fingebat. 1. *Infantes non saluari posse, nisi sub annos intelligentia; nec fidem esse prodesse alienam*. 2. *Templa esse subruenda; orationi seruire loca omnia, sacra non requiri*. 3. *Cruces non tolerandas, ut indiciæ nec inſanda*. 4. *Sacrificiam nil esse, nec offerendum, sed extirpandum cum Eucharistia*. 5. *suffragia pro defunctis, elemosynas, &c. nil prodesse, esse nugæ meras*; 6. *Pyra à crucibus extraxit, carnes coxit in Dominica Passionis, & carnes distribuit suis in Communionem*. At zelus fidelium eum combussit.

Innouauit eisdem errores in partibus Tolofanis *HENRICVS* apostata mo-

monachus; addens, *DEVM Canticis ecclesiasticis irritari.*

Eum S. Bernardus & scriptis & miraculis refutat. De quibus vide *Varta anno 1147.*

APOSTOLICI sunt à S. Bernardo, in Gallijs Crucem prædicante, deprehensi, sicque descripti: Nullo autore orti sciuntur, vt cæteri: in multis manichæizabant. Se solos esse Christi corpus gloria-bantur. Ideo se potestatem habere, consecrandi omnes cibos in corpus & sanguinem Christi in mensa quotidie, ad nutriendum se in Corpus Christi, Rusticani & idiota se iactant Apostolicos; sed absq; signo. Hoc eis symbolum Manichæorum: *Iura, perius a secretum prodere noli.*

Catholicos dicunt canes, porcos: Coniugium abhorrent libidinosisissimi. Carnibus abstinent: Apud Catholicos omnia catholice agūt, simulant. Cōuētus secretos & promiscuæ Veneris agūt: Rident infantes baptizari, orari pro mortuis; Inuocari Sanctos: credi Purgatoriū. Negant sacramentis administrādis idoneos catholicos; vt pote Peccatores. Demum orti seipſis, seipſis extincti sunt. Hodie reuixerunt.

GILIBERTVS Pictauien. Episcopus a. 1147. voluit omnia fidei ad categorias Aristotelis referre. Finxit 1. *Diuinam Essentiam non esse Deum.* 2. *Proprietates Personarum nō esse personas ipsas.* 3. *Diuinā naturā non esse incarnatam.* 4. *Nullum mereri præter Christum.* 5. *Nullum vere baptizari præter saluandum.* S. Bernardus in prædicatione crucis eum deprehēdit: tuasit Eugenio, vt coacto Concilio Rhemensi de eo decerneretur, a. 1148. Ibi iurauit errores

suos, simul restituitur Episcopatui suo, opera S. Bernardi.

EVDO BRITTO idiota: ex isto: *Per EVM, qui venturus est iudicare:* se vocauit EON, esseque dixit Iudicem EVM. Magus arte magica contraxit admirādam hominum turbam, ac dementauit: dirus monasteriorum infestator ac depilator, turba fretus. Demum captus traditur Episcopo Rhemensi a. 1148. ibiq; damnatus in Concilio ab Eugenio Papa, immoritur carceribus.

ALBIGENSES ad Tolosam orti ann. 1176. Manichæis similes & Arianis finge-bant 1. *Vetus Testam. reuiciendum totum: amplectenda in Nouo solum Euangelia.* 2. *Epistolæ Pauli, Canonicas septem, Actus Apost. & Apocalypsin.* 3. *Neminem teneri ad Confessionem fidei.* 4. *Saluari solos, qui peccato originali peccata non addidissent actualia.* 5. *Sacramenta mali Sacerdotes nec consueiunt, nec vere administrant.* 6. *Coniuges non saluari, si commisceantur.* 7. *Milites vulneratos saluari si non confiteantur.* 8. *Iurantes etiam iuste, damnari.*

Eos in Concilio conuicit, & damnauit Episcopus Albigenſis. Iterum a Legatis Papæ a. 1178. conuicti excōmunicantur. at a. 1179. in Conc. Gen. Lateranensi condemnantur.

PETRVS ABAILARDVS, è Francia Gallus, innotescere cepit anno 1140. *Is cum de Trinitate loquitur, sapit Arium, cum de gratia, sapit Pelagium; cum de Persona Christi, sapit Nestorium,* ait S. Bernardus, qui eum in disputatione publica cōfutauit, & conuicit: at Petrus Cluniacensis ei persuasit, vt palinodiā caneret. Exinde monachū induit Cluniaci. vbi & feliciter pœnitens obiit. Prouocarat ad Papam;

sed non iuit; nãm conuersus substitit a.  
1140.

ARNALDVS Brixienfis Clericus in Italia, discipulus Abailardi, à studio è Gallia in Italiã reuers<sup>o</sup> induit monachũ, quo amplius deciperet; Clericorũ & Epif. derogator, monachorũ persecutor, Laicorũ adulator, dogmatizauit; *Nec Clericos, proprietatem; nec Episcopos Regalia; nec monachos, possessionem habentes, saluari posse: cunctãq; hæc Principis esse, Concedijs in usum.* In Concilio Rom. dãnatus fugit in Germaniã: excommunicatur ab Innocentio III. Cum eo perijt & hæresis sub an. 1145. Reliquit ARNALDISTAS, qui sepius electiones Pontificum turbarunt. 1141. 1143. 1145. 1148.

CATARI siue PATARENI òrti sub annum 1153. fingeant, *Mundum à demonibus factum: Sacramenta nil valere: &c.* Quo orti, petiere sæculo.

VALDENSES in Gallijs orti à VALDENE ciue Lugdunensi prædiuite, & idiota. Curauit is sibi quasdam sententias à doctis in libellum inscribi, quas de in, abdicatis bonis omnibus, prædicauit, Magistratum dirus infectator, & sacramentorum contemptor. Post admonitionem pertinax excommunicatur, & exul proscribitur, sub annum 1186. Dicti quoque sunt sectatores eius PAVPERES DE LVGDVNO: fingeant; *Non obediendum Pape: Potestatem absoluendi à peccatis, & consciendi Eucharistiam Laicis quoque datam: Indulgentias nil valere: Non esse Purgatorium: Sanctos non inuocandos, nec audire preces: Festa & ieiunia non seruanda &c.*

PETRVS IOANNIS finxit sub an. 1191. *Christo latus perforatum adhuc viuẽti: Ani-*

*mam rationale non esse formam corporis: Ecclesiam Vniuersalẽ esse Babylonem Apocalypsi. cam: Papã esse mysticum Antichristũ Dixit, & vixit, seq; ipso perijt. Damnati Romæ ossa refossa publice exuruntur anno 1199.*

ALMARICVS Doctor Parisiensis finxit, *Legem Dei durasse vsq; ad Christi Aduentum: Legem Christi vsq; ad Almaricum: Legem Spiritus S. vsq; ad finem mundi.* Sub an. 1200. extitit, & interijt.

RADVLPHVS, anno 1146. prædicante Crucem per Gallias S. Bernardo, prædicans eandem per Germaniam, nouæ hæresis autor euasit docens: *Impune, absq; piaculo necari Iudaos, vt hostes nominis Christiani: vt Vsurarios, vt Infantidas.* S. Bernardus eum scriptis refutat.

#### V A R I A

### Orthodoxæ Fidei Testimonia historica in Sæculo XII.

ANNO MC. Papæ Paschalis electio, post mortem Vrbanus, reuelatione prædictam, fuit reuelata religioso; percunctanti, quã diu viçturus esset, dicitur vide suppedaneum, vbi scheda habebat: *Terni, ter quater ni, terni q; .i. 18. an.* Eratque scheda partim pilosa, partim pura, quod eius Põtificat<sup>o</sup> esset futurus partim quietus, partim turbulentus. Omnium votis electus est ex Abbate & Cardinali, & acclamatus: sed renitens. Neq; Guibertus Antipapa ei contradixisset.